



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R.P. Fulvii Androtii, Societatis Iesv, Piæ meditationes de  
Passione & Morte D. N. Iesv Christi**

**Androzzi, Fulvio**

**Coloniæ Agrippinæ, Anno MDCIII**

Puncta Quaedam Praecipuè de passione Christi perpendenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48634](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48634)

PVNCTA QVAEDAM PRAE-  
cipue de passione Christi per-  
pendenda.

**P**rimum considerandi sunt acerbis-  
simi dolores, vt condoleamus ei ex  
corde.

2. Grauitas nostrorum peccatorum, vt  
ea magno odio prosequamur.
3. Magnitudo beneficij, vt magnam re-  
feramus gratiam.
4. Excellentia diuinę bonitatis, vt eam  
amemus ex corde.
5. Multitudo virtutum Christi, vt eas  
imitemur.
6. Conuenientia huius mysterij ad ad-  
mirandam diuinam sapientiam, & ad  
confirmandos nos in fide.

*De magnitudine dolorum.*

**S**ciendum est, vt habet S. Thomas,  
exceptis cruciatibus Purgatorij & in-  
ferni, dolores Christi fuisse omni-  
um, qui in hoc mundo aut tolerati sunt,  
aut vnquam tolerabuntur, maximos.

1. Ob magnitudinem Charitatis; quo  
enim erat ardentior, hoc maiorem in pa-  
tiendo creabat dolorem.

Quia

2. Quia fuerunt puri dolores, omnis consolationis expertes.
3. Ob teneritudinem corporis miraculosè compacti, quod multo perfectius, delicatius, & sensibilius erat omnibus hominum corporibus.
4. Ex præsentia & compassione matris, quæ augebat dolorem.
5. Ob genus mortis acerbissimæ, & ob circumstantias eiusdem; de quibus infra.
6. Quia passus est in corpore, fama, honore, facultatibus (vt cum staret nudus) & amicis, qui eum reliquerunt & negarunt.

*Passus est Christus in omnibus  
membris.*

**N**Am caput fuit coronatum spinis.  
Oculi cooperti lachrymis & sanguine.

Facies plena sputis.

Aures obrutæ iniurijs.

Lingua potata felle & aceto.

E sacra barba euulsi pili.

Manus transfixæ clavis.

Latus apertum lancea.

Humeri lacerati flagellis.

Pedes transfossi duris clavis.

B 7 To

Totum corpus vulneratum, distractum, dilaniatum.

2. Propter multitudinem calamitatum, quæ in ipsam passionem incurrerunt. Fuit enim captus, ligatus, accusatus, illusus, consputus, colaphizatus; flagellatus, spinis coronatus, percussus arundine, facie velatus, nudatus vestibibus, maledictis impetitus, cruce oneratus, ductus & reductus ab vno tribunali ad aliud, instar publici latronis. Tandem affixus cruci mortuus est.

*Quid ex his doloribus discere debeamus.*

1. Quàm turpè & sceleratum sit peccatum, quandoquidem tanta ad illud expiandum passus est Christus. Quomodo autem poterat Deus maius signum odij sui in peccatum ostendere, quàm quod occidit proprium filium, vt occidat peccatum?
2. Quàm graves sint pœnæ inferni quandoquidem, vt liberaremur ab illis, Christus voluit subire infernum quendam dolorum & pœnarum.
3. Quantum sit beneficium gratiæ & gloriæ, cum tantum meritum necessarium fuerit ad eam obtinendam.

Di.

4. Dignitatem hominis, & animæ valorem, cum Deus tantum pretium exolverit pro illa.

5. Quàm bonus, pius & suavis sit Deus.

*IN PASSIONE CHRISTI  
maximè elucere Dei charitatem, bonitatem, misericordiam & iustitiam.*

**A**D bonitatem amicitiae pertinet, communicare & dare seipsum amico. Sed quæ maior bonitas reperitur, quàm Dei, qui factus est vnum, idemq; cum homine, & tanta passus est pro homine?

Ad amorem pertinet, benefacere amato: Sed quis amor maior esse potest, quàm Dei, qui ut hominem faceret omnium bonorum suorum participem mortuus est pro homine?

Ad misericordiam pertinet in se recipere aliorum miseras. Sed quàm maiorem miseriam potuit suscipere Christus, quàm moriendo cum tanto dolore & confusione pro nostris peccatis?

Ad iustitiam spectat punire peccata: